

MISSALE AMBROSIANUM

ORDINARIUM MISSAE

Fuentes Litúrgicas

S. E. L. M.

Centro de Estudios Filosóficos Medievales

Universidad Nacional de Cuyo

Mendoza

2004

ORDINARIUM MISSAE

Sacerdos Missam celebraturus, stans ad infimum gradum Altaris, signat se signo crucis, clara voce dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Ministri respondent: Amen.

Deinde junctis manibus ante pectus, incipit Antiphonam: Introibo ad altare Dei.

Ministri respondent: Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Sacerdos: Confitemini Domino, quoniam bonus.

Ministri: Quoniam in saeculum misericordia ejus.

Idem Sacerdos deinde, junctis manibus profunde inclinatus, facit Confessionem, ut infra:

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, beato Ambrosio Confessori, omnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere, (percutit ter sibi pectus, dicens) mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum

Michaellem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, beatum Ambrosium Confessorem, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent: Deo gratias. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis tuis, perducatur te ad vitam aeternam.

Sacerdos erigens se dicit: Amen.

Deinde Ministri repetunt Confessionem. Sed ubi a Sacerdote dicebatur vobis, fratres, et vos, fratres, ipsi dicunt tibi, pater, et te, pater.

In fine Sacerdos dicit: Deo gratias.

Postea, junctis manibus stans ut supra, dicit: Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducatur vos ad vitam aeternam.

Ministri respondent: Amen.

Tum ille signat se, stans ut supra, et dicit: Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.

Ministri respondent: Amen.

Sacerdos iterum se signat, stans pariter, et dicens:

V/. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R/. Qui fecit caelum, et terram.

Deinde inclinatus dicit junctis manibus:

V/. Sit nomen Domini benedictum.

R/. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Tunc inclinatus, ut supra, secreto dicit:

Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut pro peccatis meis possim intercedere, et astantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.

Accedit ad Altare, et inclinatus dicit:

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, (facit crucis signum in medio Altaris, illudque osculatur dicens) quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

In Missa solemni Celebrans, antequam legat Ingressam, benedicit incensum, dicens:

Ab illo bene ✠ dicaris, in cujus honorem cremaberis. Amen.

Tum accepto thuribulo a Diacono, incensat Altare.

Deinde Diaconus, recepto thuribulo a Celebrante, incensat illum tantum.

Postea Celebrans accedit ad cornu Epistolae, ubi signans se ✠ incipit Ingressam. Qua finita, extendens et jungens manus dicit:

V/. Dominus vobiscum.

R/. Et cum spiritu tuo.

Postea extendens, elevans, et jungens manus, caputque inclinans, dicit, si dicendum est, Gloria in excelsis Deo, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit Adoramus te, et Gratias agimus tibi, et Jesu Christe, et suscipe deprecationem nostram, inclinatur caput versus Crucem. In fine autem dicens Cum Sancto Spiritu, signat se ✠.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Deinde dicit: *V/. Dominus vobiscum: cui semper respondetur: Et cum spiritu tuo.*

Postea, ut postulat Officii ordo, dicit unam, vel plures Orationes super populum: et sic de aliis.

Iterum: *V/. Dominus vobiscum.*

Deinde, lecto titulo Lectionis (si ea dicenda sit), inclinatus versus Crucem manibus junctis, dicit secreto: *Jube domne benedicere: sibi que protinus benedicens ✠, sinistra infra pectus posita, si ea sit e Testamento veteri, dicit: Prophetica Lectio sit nobis salutis eruditio: si autem sit e novo, dicit: Apostolica lectio sit nobis salutis eruditio.*

Sequitur ergo Lectio cum suo Psalmello, et Versu. Post haec, lecto titulo Epistolae, petitaque, ut supra, benedictione, Sacerdos ita sibi benedicit:

✠ *Apostolica doctrina repleat nos gratia divina.*

Tum sequitur Epistola cum Versu in Hallelujah, vel cum Cantu, pro varia temporis ratione. Quo finito Sacerdos, delato libro ad cornu Evangelii, stans in medio Altaris, junctis manibus, et profunde inclinatus, dicit:

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nunciare. Per Christum Dominum.

Deinde ad librum conversus junctis manibus, dicit *V/. Dominus vobiscum: et pronuncians titulum Evangelii, pollice dextero signat ✠ librum, et semetipsum ✠ in fronte, ✠ ore, et ✠ pectore. Dum vero respondetur: Gloria tibi, Domine, versus Crucem inclinatus junctis manibus, dicit: Jube, Domine, benedicere: et mox dicit benedictionem: Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne, et competenter annunciem Evangelium suum, in nomine ✠ Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Tum stans junctis manibus, legit Evangelium. Quo finito, Minister respondet:

Laus tibi, Christe:

et Sacerdos osculatur librum in loco, ubi est principium Evangelii recitati, dicens:

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Quoad Lectionem, Epistolam, et Evangelium, quae servanda sint in Missa solemni, vel etiam pro Defunctis, haec extant in earum Rubricis generalibus.

Postea reversus ad mendium Altaris, extendens, et jungens manus, dicit:

V/. Dominus vobiscum.

R/. Et cum Spiritu tuo. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Tum junctis manibus legit Antiphonam post Evangelium, si legenda sit: deinde ipse extendens, et jungens manus, dicit:

V/. Pacem habete: qui versiculus dicitur a Diacono, si adsit.

R/. Ad te, Domine.

Rursumque Sacerdos dicit:

V/. Dominus vobiscum: mox et Orationem super sindonem, manibus extensis.

OFFERTORIUM

Finita Oratione praedicta, Sacerdos, accipiens Patenam cum Hostia, illam affert, dicens:

Suscipe, clementissime Pater, hunc Panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus, in nomine Patris ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Reposita Hostia super Corporale, infundit vinum in Calicem, dicens:

De latere Christi exivit Sanguis, Deinde aquam benedicit, dicens: et aqua pariter, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Tum accepto Calice, offert, dicens:

Suscipe, clementissime Pater, hunc Calicem, vinum aqua mixtum, ut fiat Unigeniti tui Sanguis, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Calice super Corporali posito, et Palla cooperto, junctis manibus, et super Altare positus, profunde inclinatus, dicit:

Omnipotens sempiterne Deus, placabilis et acceptabilis sit tibi haec oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore, et pro delictis meis innumerabilibus tuae pietati offero, ut veniam et remissionem peccatorum meorum mihi concedas: et iniquitates meas ne respexeris, sed sola tua misericordia mihi prosit indigno. Per Christum Dominum nostrum.

Stans manibus extensis prosequitur:

Et suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine, et custodia, atque unitate catholicae Fidei: et pro veneratione quoque beatae Dei Genitricis Mariae, omniumque simul Sanctorum tuorum: et pro salute et incolumitate famulorum, famularumque tuarum et omnium, pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus, et quorum quarumque eleemosynas suscepimus et omnium fidelium Christianorum, tam vivorum, quam defunctorum: ut te miserante, remissionem omnium peccatorum, et aeternae beatitudinis praemia, in tuis laudibus fideliter perseverando, percipere mereantur, ad gloriam et honorem nominis tui, Deus, misericordissime rerum Conditor. (Jungit manus) Per Christum Dominum nostrum.

In Dominis vero, et in solemnitatibus Domini, earumque Vigiliis, et quando Missa est de Sanctis (nisi sit votiva utcumque

solemnis), haec etiam similiter prosequitur.

Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi: et in honorem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, et eorum, quorum hic nomina, et reliquiae habentur: ut illis sit ad honorem, nobis autem ad salutem: ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam facimus in terris. (Jungit manus) Per eundem Christum Dominum nostrum.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Et suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem pro emundatione mea, ut mundes, et purges me ab universis peccatorum maculis: quatenus tibi digne ministrare merear, Deus et clementissime Domine.

Benedicit oblata, prosequendo:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti copiosa de caelis descendat super hanc nostram oblationem: et accepta tibi sit haec oblatio, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, misericordissime rerum Conditor. Amen.

Postea, si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens:

Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Pero Christum Dominum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono incensat oblata, dicens:

Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine: et descendat super nos misericordia tua.

Tum incensando Altare, dicit:

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo: elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis. (Ps. 140)

Postea reddit thuribulum Diacono, dicens:

Ecce odor Sanctorum Dei, tanquam odor agri pleni, quem Deus benedixit. (Gen. 27)

Deinde legit Offertorium suo in loco: eoque lecto, extendens, et jungens manus, dicit:

V/. Dominus vobiscum.

SYMBOLUM
CONSTANTINOPOLITANUM

Deinde extendens, elevans, et jungens manus, dicit (si dicendum sit) Credo in unum Deum, illudque prosequitur, junctis manibus: cum dicit in unum Deum, Jesum Christum, simul adoratur, et conglorificatur, caput inclinat: quando autem pervenit ad Et incarnatus est, genuflectit usque ad Crucifixus, in fine vero dicens et vitam venturi seculi, signat se signo crucis.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli, et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantiali Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. (Hic Sacerdos genuflectit) ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST. (Surgit, et prosequitur) Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit ad caelos: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam

sanctam catholicam: et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

V/. Dominus vobiscum.

Deinde, manibus extensis, subjungit Orationem super oblata.

PRAEFATIONES COMMUNES

In praedictae Orationis conclusione, dicens: per omnia secula seculorum, ponit manus hinc inde super Altare: mox illas aliquantulum elevat usque ad pectus, ita ut una palma alteram respiciat, dum dicit Sursum corda. Eisdem jungens, inclinat caput, cum dicit: Gratias agamus. Dehinc ipsas disjungit usque ad finem Praefationis, ac denique cum dicit Sanctus, jungit ante pectus manus, et inclinatus prosequitur. Ad Benedictus qui venit, erigit, et signat se. Advertendum vero hic est ad locum, ubi subjungenda est Praefatio de proprio, ut congruenti loco proprium connectatur cum communi.

V/. Dominus vobiscum.

R/. Et cum spiritu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habemus ad Dominum.

V/. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

V/. Vere quia dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper hic, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: * per Christum Dominum

nostrum. ** Per quem majestatem tuam laudant Angeli, venerantur Archangeli: Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, et Potestates adorant. Quem Cherubim, et Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli, et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus, qui venit in nomine
Domini. Hosanna in excelsis.

praefationes aliquando etiam sic terminantur

* Per eundem Christum Dominum nostrum.

Vel sic: Quam laudant Angeli, etc.

Vel sic: Propterea cum...

Vel sic: Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis ac Dominationibus, cumque omni militia caelstis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli, et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus, qui venit in nomine
Domini. Hosanna in excelsis.

Vel sic: Unde profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat: sed et supernae Virtutes, atque angelicae concinunt Potestates, hymnum gloriae tuae perpetim sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli, et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus, qui venit in nomine
Domini. Hosanna in excelsis.

Vel sic: Quem una tecum, omnipotens Pater, et cum Spiritu Sancto laudant Angeli, venerantur Archangeli: Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus et Potestates adorant. Quem Cherubim, et Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli, et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus, qui venit in nomine
Domini.
Hosanna in excelsis.

CANON

Sacerdos extendens, elevans, et jungens manus, elevatisque ad caelum oculis, et statim demissis, inclinatus profunde ante Altare dicit:

Te igitur, clementissime Pater, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, supplices rogamus, et petimus, (facit Crucis signum in medio Altaris, illudque osculatur) uti accepta habeas, et benedicas (signat ter super oblata) haec ✠ dona, haec ✠ munera, haec ✠ sancta sacrificia illibata, (extensis manibus prosequitur) in primis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N. et Pontifice nostro N. sed et omnibus orthodoxis, atque catholicae, et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, N. et N. (junctis manibus orat aliquantulum pro quibus intendit: deinde extensis manibus prosequitur), et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suae: tibi que reddunt vota sua, aeterno Deo, vivo et vero.

PROPRIA INFRA CANONEM

In Nativitate Domini et per Octavam.

Communicantes, et (in prima Missa) noctem sacratissimam celebrantes qua (in aliis vero) diem sacratissimum celebrantes, quo beatae Mariae intemerata virginitas huic mundo

edidit Salvatorem: sed et memoriam venerantes, in primis ejusdem gloriosae semperque Virginis Mariae, Genetricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum, ut paulo supra.

In Epiphania Domini, et per Octavam.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coaeternus, in veritate carnis nostrae visibiliter corporalis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semperque Virginis Mariae, Genetricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum, ut paulo supra.

In die sancto Paschae, et per Octavam.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semperque Virginis Mariae, Genetricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum, ut paulo supra.

In Ascensione Domini.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster, unigenitus Filius tuus, unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae dextera collocavit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semperque Virginis Mariae, Genetricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum, ut paulo supra.

In Pentecoste et per Octavam.

Communicantes, et diem sacratissimum pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semperque Virginis Mariae, Genetricis ejusdem Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum, et Martyrum tuorum, ut paulo supra.

Commune infra Canonem.

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semperque Virginis Mariae, genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi: * sed et beatorum Apostolorum et Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Xisti, Laurentii, Hippolyti, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii et Celsi, Protasii et Gervasii, Victoris, Naboris, Felicis et Calimerii, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. (Jungit manus) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commune infra Actionem

manibus expansis super oblata.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus suscipias: diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna nos damnatione eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. (Jungit manus) Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem, quam pietati tuae offerimus, tu Deus, in omni-

bus, quaesumus, (signat ter supra oblata) bene ✠ dictam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: (signat semel super Hostiam, et semel super Calicem) ut nobis Cor ✠ pus et San ✠ guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Junctis manibus vadit ad cornu Altaris, ubi nihil dicens lavat digitos, et abstergit: inde redit ad medium Altaris, et dicit:

Qui pridie, quam pro nostra omniumque salute pateretur. (accipit Hostiam, et elevat oculos) accipiens panem, elevavit oculos ad caelos ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, (Hostiam benedicit) bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.

Verba consecrationis distincte, secreto, et attente dicit:

Hoc est enim Corpus meum.

Genuflectit, surgit, elevat Hostiam a populo adorandam: reponit super Corporale: iterum genuflectit. Mox erectus detegit Calicem, Pallam collocans super Hostiam consecratam, et prosequitur:

Simili modo postquam coenatum est, (accipit Calicem, et elevat oculos) accipiens Calicem, elevavit oculos ad caelos ad te Deum Patrem suum omnipotentem: item tibi gratias agens, (sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum) bene ✠ dixit, tra-

ditque discipulis suis, dicens ad eos:
Accipite, et bibite ex eo omnes.

Calicem tenens ambabus manibus parum elevatum, profert verba consecrationis:

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Deponit Calicem, statimque supra ipsum primores digitos tergit. Tum genuflectit, surgit, ostendit populo, dicens:

Mandans quoque, et dicens ad eos: Haec quotiescunque feceritis in meam commemorationem facietis: mortem meam praedicabitis, resurrectionem meam annunciabitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de caelis veniam ad vos.

reponit, tegit, et iterum adorat. deinde extensis brachiis in modum Crucis, dicit:

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, Domini nostri Jesu Christi passionis, nec non et ab inferis mirabilis resurrectionis, sed et in caelos gloriosissimae ascensionis, (*jungit manus*) offerimus praeclarae maiestati tuae, de tuis donis ac datis, (*oblata ter signat communiter*) hostiam ✠ puram, hostiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immaculatam, (*tum semel super Hostiam solam, et semel super Calicem solum*) hunc Panem ✠ sanctum vitae aeternae, et Calicem ✠ salutis perpetuae.

Dehinc extensis manibus ante pectus, dicit:

Supra quae propitio, ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera iusti pueri tui Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahamae, et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Junctis deinde manibus, profunde dicit:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ante conspectum divinae majestatis tuae: (*facit Crucis signum in medio Altaris, illudque osculatur*) ut quotquot ex hac altaris participatione (*producit signum Crucis semel super Hostiam, et semel super Calicem*) sacrosanctum Corpus ✠ et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumpserimus, (*signat se*) omni benedictione caelesti et gratia repleamur (*Jungit manus*) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis, N. et N. (*Jungit manus, et orat pro his defunctis, pro quibus intendit. Tum extensis manibus dicit*): Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, ac pacis ut indulgeas,

deprecamur. (Jungit manus et caput inclinat): Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Percutit pectus, elata paululum voce dicens:

Nobis quoque minimis, et peccatoribus (reliqua secreto) famulis tuis de multitudine misericordiae tuae sperantibus, partem aliquam, et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis, et Martyribus, Joanne et Joanne, Stephano, Andrea, Barbana, Petro, Marcellino, Agnete, Caecilia, Felicitate, Perpetua, Anastasia, Agatha, Euphemia, Lucia, Justina, Sabina, Thecla, Pelagia atque Catharina, et cum omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. (Jungit manus) Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, (signat ter supra Hostiam simul et Calicem, dicens) sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, et nobis famulis tuis largiter praestas, ad augmentum fidei, et remissionem omnium peccatorum nostrorum.

Discooperit Calicem, et genuflectit, dicens:

Et est tibi Deo Patri omnipotenti

Mox erectus accipit Hostiam dextera: et tenens Calicem sinistra, signat cum Hostia ter supra Calicem, a labio ad labium, dicens:

ex ✠ ipso, et per ✠ ipsum, et in ✠ ipso, omnis honor, virtus, laus, gloria,

Sinistra tenet Hostiam supra Calicem, et dextera accipiens Patenam inter indicem et medium digitos, ter signat supra Hostiam simul et Calicem, dicens:

impe ✠ rium, perpe ✠ tuitas, et po ✠ testas in unitate Spiritus Sancti

Deposita Patena supra pedem Calicis versus semetipsum, elevat Hostiam paululum, alta voce dicens:

per infinita saecula saeculorum.

R/. Amen.

Dividit Hostiam per medium supra Calicem, dicens:

Corpus tuum frangitur, Christe, Calix benedicitur.

Partem, quae in dextera est, ponit supra Patenam. Ex altera vero parte, quae in sinistra, detrahit particulam, dicens:

Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam, et ad salvandas animas, Deus noster.

Mox partem, quae in sinistra est, ponit supra Patenam: deinde particulam ipsam, dextera interim suspensam supra Calicem, signando cum ea, demittit in eundem Calicem, dicens:

Commixtio ✠ consecrati Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, nobis edentibus et su-

mentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum.

Tegit Calicem, genuflectit, surgit, et dicit Confractorium.

Tum dicto submissa voce, et inclinato capite. Oremus, alta deinde voce, manibusque junctis subdit: Praeceptis salutaribus moniti, et divina, etc.

Oremus

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

(Extensis manibus dicit Orationem Dominicam: ad primam vero Petitionem caput inclinat).

Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

R/. Sed libera nos a malo.

Sacerdos secreto dicit: Amen.

Deinde, signans se signo Crucis ✠, alta voce prosequitur:

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente pro nobis beata, et genitrice Dei, ac

Domini nostri Jesu Christi, et sanctis Apostolis tuis Petro, et Paulo, atque Andrea et beato Ambrosio Confessore tuo, atque Pontifice, una cum omnibus Sanctis tuis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Praesta per eum, cum quo beatus vivis, et regnas Deus in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum.

R/. Amen.

Signat se ✠, sinistra super Corporali posita, dicens:

Pax, et communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum.

R/. Et cum Spiritu tuo.

Tum Diaconus, alioquin ipsemet Sacerdos, subdit:

Offerte vobis pacem.

R/. Deo gratias.

In Missis pro Defunctis, omisso Offerte vobis pacem, et Oratione sequenti Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: omisso etiam Pax tecum, junctis manibus, alta in privatis, submissa voce in solem-nibus Missis, inclinatus dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam, et locum indulgentiae cum Sanctis tuis in gloria.

Tum vero transit ad posteriores duas Orationes.

In aliis autem Missis, dicto Offerte vobis pacem, inclinatus, junctis manibus, et submissa voce dicit tres Orationes sequentes.

Oratio

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare, custodire, et regere digneris propitius. Qui vivis, et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Si pax est tribuenda, facta prius in medio Altaris Cruce ✠, illud osculatur, et dans pacem, dicit:

Pax tecum.

R/. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, da mihi hoc Corpus Jesu Christi Filii tui Domini mei ita sumere, ut non sit mihi ad iudicium, sed ad remissionem omnium peccatorum meorum. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti

Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui pro voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum universum vivificasti: libera me, obsecro, per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, et universis malis: et fac me tuis obedire mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Inclinatus, percutiens pectus dicit ter:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Genuflectit, surgit, accipit dextera ambas partes Hostiae, et sinistra Patenam, dicens:

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Panem caelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Postea, dextera se signans ✠ cum Hostia, dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Sumit ambas partes Hostiae.

Tum junctis manibus, quiescit aliquantulum. Postea detegit Calicem, genuflectit, extergit Patenam supra illum, dicens interim:

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipit Calicem, et eo signum Crucis ✠ sibi faciens, dicit:

Praesta, quaeso, Domine, ut perceptio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ad vitam nos perducat aeternam.

Sumit Sanguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicat, antequam se purificet.

Postea dicit:

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: ut de Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat nobis remedium sempiternum.

Deinde porrigit Calicem Ministro, qui infundit ei parum vini, quo se purificat.

Mox abluit digitos vino, et aqua, et eos abstergens purificatorio, dicit:

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: et dona Ecclesiae tuae perpetuam tranquillitatem et pacem.

Sumit purificationem, extergit Calicem: et illum, plicato Corporali, operit more so-

lito. Deinde in cornu Epistolae dicit Transitorium, et Orationem post Communionem. Qua finita, dicit:

V/. Dominus vobiscum.

R/. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

V/. Benedicat, et exaudiat nos Deus.

R/. Amen.

Diaconus dicit, alioquin ipsemet Sacerdos:

V/. Procedamus in pace.

R/. In nomine Christi.

V/. Benedicamus Domino.

R/. Deo gratias.

In Missis pro Defunctis, dicto: V/. Dominus vobiscum, et responso Et cum spiritu tuo, sine Kyrie eleison, stans in medio Altaris producit dextera signum Crucis ✠, dicens:

V/. Requiem aeternam dona eis, Domine.

R/. Et lux perpetua luceat eis.

V/. Animae istorum, et omnium fidelium defunctorum per Dei misericordiam requiescant in pace.

R/. Amen.

Et dicto Placeat, non datur Benedictio.

Deinde profunde inclinatus ante medium Altaris, junctis manibus, dicit:

Placeat tibi, Deus, obsequium servitutis nostrae: et sacrificium, quod oculis tuae divinae majestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihi-

que, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Facta prius Cruce ✠ in medio Altaris, illud osculatur: deinde erigens se, atque adhuc stans versus Altare, extendens, elevans, et jungens manus caputque Cruci inclinans, dicit:

Benedicat vos omnipotens Deus

tum convertens se ad populum a dextera parte, semel benedicit populo, dicens:

Pater, ✠ et Filius, et Spiritus Sanctus.

R/. Amen.

Deinde in cornu Evangelii, dicto manibus junctis V/. Dominus vobiscum, etc., pollice dextero signans prius signo Crucis ✠ Librum, vel Tabellam, aut Altare, deinde suimetipsius frontem ✠ os ✠ et pectus ✠, dicit:

✠ Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

Et prosequitur manibus junctis.

In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Hic

venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum (interim genuflectitur) caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

R/. Deo gratias.